

C.A.P.E.S.
CONCOURS EXTERNE

Section : LETTRES CLASSIQUES

VERSION LATINE

FLAGORNERIE ET INDEPENDANCE D'ESPRIT A LA COUR D'ALEXANDRE LE GRAND

Festo die omni opulentia convivium exornari iubet, cui non Macedones modo et Graeci principes amicorum, sed etiam hostium nobiles adhiberentur. Cum quibus cum discubuisset rex, paulisper epulatus convivio egreditur. Cleo, sicut praeparatum erat, sermonem cum admiratione laudum eius instituit ; merita deinde percensuit, quibus uno modo referri gratiam posse, si, quem intellegerent deum esse, confiterentur exigua turis impensa tanta beneficia pensaturi. Persas quidem non pie solum, sed etiam prudenter reges suos inter deos colere : maiestatem enim imperii salutis esse tutelam. Ne Herculem quidem et Patrem Liberum prius dicatos deos, quam vicissent secum viventium invidiam : tantum de quoque posteros credere, quantum praesens aetas spoondisset. Quod si ceteri dubitent, semetipsum, cum rex inisset convivium, prostraturum humi corpus ; debere idem facere ceteros, et in primis sapientia praeditos : ab illis enim cultus in regem exemplum esse prodendum.

Haud perplexe in Callisthenen dirigebatur oratio. Gravitas viri et prompta libertas invisa erat regi, quasi solus Macedonas paratos ad tale obsequium moraretur. Is tum silentio facto unum illum intuentibus ceteris : "Si rex", inquit, "sermoni tuo adfuisset, nullius profecto vox responsuri tibi desideraretur ; ipse enim peteret ne in peregrinos externosque ritus degenerare se cogeres, neu rebus felicissime gestis invidiam tali adulazione contraheres. Sed quoniam abest, ego tibi pro illo respondeo : nullum esse eundem et diuturnum et praecoquem fructum ; caelestesque honores non dare te regi, sed auferre. Intervallo enim opus est ut credatur deus, semperque hanc gratiam magnis viris posteri reddunt. Ego autem seram inmortalitatem precor regi, et ut vita diuturna sit et aeterna maiestas. Hominem consequitur aliquando, nunquam comitatur divinitas.

QUINTE-CURCE, *Historiae*, VIII, 5, CXX